12

QUÆSTIO MEDICA

PRO BACCALAUREATU

Mane Discutienda

IN ALMA MONSPELIENSIUM MEDICORUM ACADEMIA

PRÆSIDE

R·D·JOANNE CHATELAIN

PROFESSORE REGIO,

ET DECANO ADMODUM VENERANDO,

SUB HAC VERBORUM SERIE.

AN VICTUS RATIONE PRÆPEDIRI POSSIT generatio calculi.

DIRIS affectibus qui in humanum corpus sæviunt, non immerito annumerandus est renum, & vesicæ calculus, corpus durum, raro læve, plerumque asperum, ex materia tartarea, glutinosa, & salina, in eorum cavitatibus ut plurimum genitum, obstructionem, distentionem & lacerationem pariens.

Quo facilius calculi concretionem Eruamus Chymicam ipsius analysim præmittendam censuimus, quippe exploratis seorsim partibus illum compingentibus perspectisque earum mole & figurâ lumen rimandæ ejus compositioni intimæ fænorabitur, distillationi subjectus magnam salis Alkalini volatilis & terræ, parvam vero phlegmatis, olei, & salis fixi quantitatem prodit; quis autem moleculas terrenas, salia Alkalina volatilia fixaque in convenienti proportione, favente ipsarum figurâ, interventu paucilli olei (quo illæ coagmentantur, & phlegmatis quo parum ab invicem disturbantur, & salia ad sulphura carminanda idonea vix ac ne vix quidem dissolvuntur sed potius omnium intercapedines exactius opplentur, ita ut singulæ sibi quasi ad amussim quadrent, in corpus durum, seu cujus partes ægre admodum à sese divelluntur facili marte, premente aëre circumfuso aut vasis vicinis coalescere posse, inficias ire queat.

Non est arduum conceptu quo pacto partes tartareæ & salinæ mediante lymphâ viscidâ una cum sero per patulas renum glandulas secretæ, in calculum facescant.

Varia calculorum figura à variis locis in quibus efformantur aut à diversâ principiorum combinatione, deducenda eſt; cum fiſtularum, infundibulorum & peluis per quæ urina trajicienda eſt nec eadem ſit figura, nec eadem amplitudo & calculorum principia valdè diſparata, ſint, indeffinitis modis combinari, cohærere & ad quietem reſpectivam, defficiente ſeroſo latice reduci queant, non mirum ſi calculi in renibus ſicut & in veſica progeniti diverſam figuram & magnitudinem obtineant.

Ex modo quo efformantur calculi arenularum & lapillorum geneſis innoteſcit, ſi enim paucæ aliæ partes Elementares vel in ſtrictioribus renum canaliculis vel in latiorum eorumdem tubulorum vel meatuum ſpatiis ſero ad fluxilitatem conſervandam deſtitutæ, concurrant, inde arenulæ, ſi vero vel jam concretæ arenulæ pro ſuperficierum congruitate & extrinſeca preſſione ſibi adaptentur, & arctius copulentur, Emergent lapilli, ſi lapilli, qui calculorum primordia audiunt, una cum ſero urinoſo per ductus renales, & ureteres ad veſicam non obſtante mole abripiantur, ibique diuturniorem moram contrahant, in mediis fluidis, concurſu præſertim partium humoris cæmenti vices gerentis in calculos grandiores concreſcent.

Calculi in veſicæ cavo raro generantur, quin prius lapilli ex renibus in illud devoluti fuerint, ratio eſt. Quod majori urinæ proventu moleculæ ipſius generationi oportunæ à mutuo contactu removeantur, non ſecus ac urina in matulis diutius retenta ſedimentum tartareum majoris conſiſtentiæ deponit; ita in meditabundis, curis aut animi ſollicitudine diſtractis veſicis, circumjectis fluidis calculi aliquando producuntur.

Cauſæ calculi aliæ ſunt externæ aliæ internæ, ad externas reducuntur illa omnia quæ uberiorem tartari proventum ſanguini ſuppeditare valent, qualia ſunt vinum prætermodum craſſum, carnes ſalitæ, & fumo induratæ, alimenta terreſtria, metus & triſtitia, aliæque res non naturales, de quorum agendi modo brevitatis ergo ſuperſedemus; ad internas vero, maſſæ ſanguineæ crazis, vel renumque conſtitutio, quæ illos ad calculum diſponit, glandularum & tubulorum laxitas vel horum anguſtia, relaxatæ glandulæ craſſiores particulas admittunt, & retinent, hinc particulæ craſſiores in unum coaleſcunt. tubuli anguſtiores tartareas, terrenas & ſalinas coarctant, & expreſſo ſero cui innatant lapideam duritiem ipſis conciliant.

Liquido igitur conſtat calculum phlogozi renum ſubſequenti occaſionem præbere; quia calculus vaſa in quibus continetur irritat, & ſanguinis circulationem impedit, unde vaſorum diſruptio & inflammatio.

Abſit igitur ut virtutem lapidificam cum antiquis pro calculorum cauſa aſſignemus, ſolo obſcuritatis nomine illa opinio jam dudum exulavit.

Pro majori calculorum mole, ſcabritie vel inæqualitate eorum ſuperficiei, vi qua adiguntur renum & vreterum tenſione, ſenſu & anguſtia, dolores atrociores excitantur; exquiſitiores in vreteribus quam in renibus ob plures quibus donantur nervorum propagines, perſentiuntur; Dolor fit gravativus hærente calculo, laxatis renibus à ſero & humoribus moram trahentibus; lancinans à calculorum angulis magna vi ductuum latera præternaturaliter tenſa impetentibus, dilacerantur renes & ureteres ab inæquali calculorum ſuperficie.

Prætermodum diſtentis vreteribus diſtrahuntur vaſa defferentia illos tranſ-

cendentia proindeque teftes ipfis annexi fuperius adducuntur; torpent femur & crura, à compreffis nervis iis profpicientibus, renum & ureterum dif-tentione nimiâ, formicationis fenfus ab humoribus in illis moram trahentibus, ortum ducit.]

Supprimitur urina vel ex toto, vel ex parte, pro ut ipfius commeatus à calculo per fuos canales magis vel minus præpeditur; lotium intra vafa redundans, affectus foporofos, modo hydropem inducit, quandoque per glandulas cutaneas fub fudoris forma errumpit, aliquando pro ratione analogiæ quam habet cum fermento fthomacali, vel inteftinali, vel pro earumdem laxitate in fthomachi uel inteftinorum cavitates illabitur, naufeam vel vomitum, vel dejectiones per anum, fibrillas eorum nerveas irritando, provocat; nonnumquam urinæ funt purulentæ, quoniam à calculo dilacerante vel inflammationem pariente, fit abfcefus aut ulcus, fiunt fanguinolentæ ruptis vel erofis à calculo interioribus vafis fanguiferis prædictarum partium, lotium redditur limpidum, quia propter arenulas ejus cavitates occupantes, partes tenuiores dumtaxat fecerni poffunt, fabulofum & craffum eo quod dilatatis & relaxatis ductibus arenulæ & vifcidiores materiæ renes infeftantes, una cum ipfo ubertim ad veficam indeque per urethram foras expellantur; innatans urinæ calculus fæpius impingit in veficæ collum, crebrius mejendi defiderium crebramque micturitionem, promovet.

Colicus dolor, & nephriticus à calculo, affectus non folum locis affectis fed etiam dolorum fpecie identidem diftinguntur, in priori non raro dolores vagi qui totum abdomen occupant, murmura & borborigmi propter inteftinorum anfractuofas circumvolutiones perfentiuntur; in nephritide vero in eadem femper parte renumque regione, percipiuntur, an à calculo vel ab aliqua alia caufa, nempe inflammatione, nephritis producatur, ab urinæ purulentæ excretione, vel à vulnere præpoftere fucepto. dignofces. Sed immenfum foret figillatim figna recenfere.

Cognitâ causâ fovente, prognofim variam inftituendam effe patet, fi nephritis à calculo uno aut pluribus iifque grandioribus & valde induratis in renibus pendeat, nullifque remediis levari poffit, periculi plena eft; quia fupprimitur urina, ex urinæ fuppreffione, ut ait Hypp. *Nifi ante feptimum diem minxerint pereunt*, ferum enim excrementitium in fanguine regurgitans, nullas non inficit ejus partes recrementitias, alibiles inquinat, ac operationes variè lædit, hinc phlogofes; ulcera, dolores atroces, vigilias, virium dejectionem, aliaque perniciofa, & ob caufæ contumaciam funefta fympthomata, infert, fi vero partium refrigeratione, pulfu debili & languido, fudoreve frigido ftipata fit, ex his etiam mortem inftare certo arguitur, fed fi à lapillis minoribus, arenulis friabilibus nondum concretis, aut à materia fabulofa ortum accipiat, nec notabili urinæ fuppræffioni conjungatur, nec remedia eludat, per craffarum & fabulofarum urinarum ejectionem foluetur; peffimi ominis eft nephritis calculofa quoties hæreditaria eft, five à parentibus calculofis contracta, vel ætati fenili fuperveniens, in ea enim ex Hypp. aphor. 6°. fect. 6. *Vitia renum & veficæ difficilius curantur*. Eadem fere de calculo veficæ prognofis inftituenda. fi calculus grandior, afper, angulofus, & affixus fit, quia nec conteri, nec difolui, nec

per urethram eliminari, poteſt.

Curationis ſcopus in paroxiſmo eſt, ut præpediatur inflammatio, mictioque ſuppreſſa procuretur, calculi ad veſicam præcipitentur, ſi parui foras eliminentur, dolor compeſcatur, & quies & ſomnus concilientur, quibus attingendis varia prorſus uſurpanda venit therapeia, primo quidem mirè præſtat ſanguinis miſſio, quod non ſolum ad tutiorem feliciorem que illius eventum, ſed etiam quia ſola venæ ſectio urinæ profluvium fere ſubito procuravit; modo attenuantia, diſcutientia, diaphoretica, ſpirituoſa, acria, roborantia, diuretica calida, modo emollientia, relaxantia, narcotica, anodyna, lenientia, diuretica frigida, quorum omnium copioſa ſylva apud authores proſtat, uſurpanda ſunt; cavendum tamen à nimio diureticorum uſu, hæc urinam ſuppreſſiſſe ex authoribus habemus, conducunt, ut paucis abſolvam, & ea omnia medicamenta quæ calculum arenulaſque foras propellere poſſunt ex prædictis ſeligere eſt, modo univerſalia particularibus debita ratione adhibeantur, ſi ardor magnus in renum regione moleſtuſque ſit, oleo violaceo aut roſaceo inungentur, in veſicam autem ſi calculus illapſus ſit, medicamentiſque ſupra dictis ob magnitudinem, aut veſicæ cohæſionem excludi nequeat, ad Lythotomiam deveniendum eſt, quæ quam ſit periculoſa & terrifica nemo non videt. Extra paroxiſmum occurrendum ipſius geneſi, in hunc finem non ſuppeditentur ſangnini materiæ craſſæ & viſcidæ ex abuſu rerum non naturalium, illi reſtituetur naturalis fluiditas; ſed hoc mire præſtat victus ratio.

E R G O *Jure Concludo.*

Victus ratione præpediri poteſt generatio calculi.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII.	*PROFESSORES REGII.*
R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius.*	R. D. Petrus Rideux.
R. D. Joannes Bezac.	R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*
R. D. Petrus Chirac.	
R. D. Petrus Magnol.	
R. D. Antonius Deidier.	

DOCTORES.	*AGREGATI.*
R. D. Henricus Haguenot.	R. D. Joannes Henricus Haguenot, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Euſtachius Marcot. M. Antonius Fizes.

Propugnabit in auguſtiſſimo Monſpellienſis Apollinis fano ANTONIUS DELANQUINA *Illiberitanus, Apud Rucinonenſes, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudum Medicinæ Studioſus ab horâ octavâ uſque ad meridiem Die menſis Decembris* 1711.